



**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]  
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

**Puteanus, Erycius**

**Antverpiæ, 1617**

Z. Proteus mundus, Dei index. Proteus Christus, Virgo Eιδοθεα. ille Deus &  
homo, hæc Mater & Filia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

ad ignem, à nocte ad diem vota ac desideria erigent, Cælestes erunt. Tu ô Vates, dum hîc viues, istic loquêris tamen; dum hîc loquêris, istic viues. Quam sic laudasti Virginem, non propitiam modò, sed & præsentem habiturus; imò præsentem, quia propitiam. Iuuat, vbi adest: ac propterea adest, vt iuuet. Sed interim cælo Proteum donat: amat laudes, quæ non poterant, nisi stellis omnibus explicari: amat Proteum, qui non poterat, nisi in cælo scribi. Alij & profani versus, libri, volumina, satis in terrâ felicia sunt, cortici, ligno, æri, inscripta: hic quia versus & librum & volumen facit, æternitatis prærogatiuâ quadam dignus fuit: quia pius, in cælum ascendit, & transfusus per vastû illud corpus formis, ipsum induit, Dotibûsque Virginis insigniuit. Prorsus igitur scribendi felicitatem, inscribendi pietas excipiat: inscriptos cælo versus, scriptos in cælo dixeris.

## T H A V M A Z.

*Proteus mundus, Dei index. Proteus Christus, Virgo  
E' idō. Déa. ille Deus & homo, hac Mater & Filia.*

**M**VNDVM esse numen profanus Scriptor ait, *Maternum, immensum, neque genitum neque interiturum omquam.* Ait, sed profanus. Genitum & interiturum scimus: immensum nomen, non numen esse. Hoc nomen qui laudare tantum

Plinius,  
lib. 11.  
cap. 1.

tum voluit, stylum & elogium huc transferat: Proteum esse mundum credam: plenum, perfectum, ordine & pulchritudine sua absolutum. Ut varia Natura est: ita rerum omnium formas Proteus capit. Terra angusta est, caelum induit: cum ubique vim, potentiam, providentiam Veri Aeternique Dei insinuet, hic ostendit. In aliis igitur credimus Deum; in sublimi, ut sic dicam, videmus. Stellis lucet, orbibus regit, tonitru monet, fulmine terret. Omnibus maior, lucendo, regendo, monendo, terrendo numen suum loquitur, & cultum a tota natura exigit. Sed o Deus! Protei causa quid mundum nomino, & caelum admiror? Filium tuum nobis dedisti: hic Proteus est. nasci e Virgine voluisti: haec *Ἐἰδοθεα* est. Christus, inquam, Proteus est: Virgo *Ἐἰδοθεα*. Quidquid in mundo pulchrum, Christo adscribo: quidquid in caelo illustre, donante Filio Mater accepit. Filium adoro, Matrem veneror: etiam in Matre Filius magnus est. Iterum, hic, quem adoro, Proteus est, sed aeternus: haec, quam veneror, *Ἐἰδοθεα* est, sed Mater. Etiam Filia, quia quem Deum & Hominem peperit, Patrem & Filium habet. Itaque cedat Homericæ & facessat

*Πρωτεύος ἰφθίμης θυγάτης αἰθίοιο γέροντος:*

*Clari Gnata senis Protei, Divique marini:*

*θυγάτης* enim doctrinae causa fingitur: Proteo edita, ut informis Pater distinctas rerum imagines

acciperet. Et quid tamen hoc aliud, quàm vt è filiâ pater nasceretur? Tantum verò fabula, etsi mendacio cæca, ausa non fuit. fieri posse, humanâ naturâ vestita Diuinitas ostendit, quam lucem & veritatem appellamus. Breuiter: E'ιδοθέα nostra Protei nostri Mater est: sed vt filiæ nomen faciliùs tribuas, Virgo permanfit. Virgo igitur & Mater. Sic Deum concepit vtero & enixa est, vt cælo maior esset, & purissimis visceribus immensa sidera vinceret: sed in cælum assumpta, & tot facibus circumdata, vt è sublimi reluceret, & virgineis Virtutum radiis benigna in genus humanum esset. Ad summam, Mundus Proteus est, vt Christum verum esse Proteum; & Christus Proteus, vt MARIAM veram E'ιδοθέαν fateamur. Proteus ille Deus & Homo: sed quia Deus, nasci è Virgine debuit. E'ιδοθέα, Virgo & Mater: sed quia Virgo, cælo, & stellis omnibus digna fuit.

## T H A V M A H.

*Diuinâ genesi Naturam, & humana mentis lumen obfuscarî. Versum esse librum mirum est, & multitudinem in monade. Protei voces, syllaba, littera ad examen ducta. τετρακτύς Pythagorica. Numerus humanus.*

**O**VIRGO, quid maius est, quàm Matrem esse Dei? Tot stellis cincta, tot Dotibus ornata,

nata,